274
272
278
268
283
263
323
223
373
173

pythonem, matri insidiantem, interemit et dare responsa divina coepit.

Sic in hac insula geniti sunt duo magni veterum dii, Diana scilicet, de qua habetur Actor. 19., et Apollo, in responsis dandis maximae celebritatis, in tantum, ut etiam Christiani oracula Apollinis aliqua pensent, ut est illud: Gnothi seauton, id est, Cognosce te ipsum. Et Augustinus L. III. de civitate Dei C. 14. dicit, quod oracula Apollinis partim fuerint a Deo et bona, partim a diabolo et mala, et dicebatur deus divinationum eique corvus adjungitur, quia corvus dicitur habere LXIV vocum mutationes, ex quibus optime augures futura comprehendere asserebant. Dicitur etiam deus sapientiae, quia physicus magnus erat et inventor medicinae optimaque consilia dabat, tam in naturalibus quam in moralibus. Ferunt hanc insulam olim solitam cum undis fluctuasse semper, pro quo cum Apollinis oraculum petitum fuisset, respondit, ne in ea mortuum corpus sepeliretur, et jussit sibi sacra quaedam ibi celebrari, quibus factis cessavit terrae motuum infestatio.

In hac insula sanctissimae crucis virtus mirabiliter est praesignata, nam cum perpetuo olim tremeret et una cum fluctibus moveretur, consulto Apollinis oraculo contra hoc periculum, dicit sibi fieri simulacrum ex materia dignissima eique divinos honores impendi. Congregatis igitur prudentissimis de materia simulacri disputabant. Primum ergo visum fuit de auro et argento, sed inspecta veritate refutarunt haec, quia infoecundae terrae atque infelicis morbi colores esse putabant, et invidiosa possessio esset. Aes etiam et ferrum abjecerunt, quia belli sunt instrumenta. Sed nec ebur placuit, pro eo, quia animam deposuit. Lapidem omnino materiam inanem esse dixerunt. Sic ergo Crisichthon vates lignum omnibus praetulit et ligneum simulachrum fabricatus Apollini insulam securam reddidit. Sed et Palladi constitutum legimus ligneum simulacrum. De his vide in Eusebio de praeparat. evangelica L. 3. C. 3. Ad hanc insulam profectus est cum universo exercitu suo ille audacissimus tyrannus Brennus, Suevorum princeps, qui subjugata Roma cum Italia Graeciam vastavit et non solum in homines sed et in deos desaeviit, qua propter in hac insula responsum lugubre Apollinis accepit, et ita ei accidit ut audivit, sicut infra patet fol. 227 a.

Dicta autem est haec insula Delos, ut fertur: post diluvium

Ende
Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;